

The Digital *Viridarium consolationis* Project

Pars 4: De aliis virtutibus Caput 3: De correctione Domini (13)

Idem (Augustinus):

Si ante oculos tuos domine culpas quas fecimus,
et plagas quas accipimus, conferamus,
minus est quod patimur, magis quod meremur.

Sed in pressuris malum non facere promittimus,
si suspenderis gladium, promissa non facimus,
si ferias clamamus ut parcas,
si parcis, iterum provocamus ut ferias,
si angustie veniunt tempus petimus penitendi,
si misericordia subveniat, abutimur patientia que pepercit,
adhuc plaga illata vix preterit,
et iam non recolit mens ingrata, quid pertulit,

si tardius, ex impatientia murmuramus.

Si ante oculos tuos, domine, culpas, quas facimus,
et plagas, quas excipimus, conferamus,
minus est, quod patimur, maius est, quod meremur.

Peccati poenam sentimus et peccandi pertinaciam non vitamus.
In flagellis tuis fragilitas nostra frangitur et iniqitas non mutatur.
Mens aegrota torquetur et cervix dura non flectitur.
Vita in dolore suspirat et in opere non emendat.
Si exspectas, non corrigimur; si vindicas, non duramus.
Confitemur in corruptione, quod laesimus;
obliviscimur in visitatione, quod flevimus.
Si impressis manum, facienda promittimus;
si suspenderis gladium, promissa non facimus.
Si ferias, clamamus, ut parcas;
si parcis, iterum te provocamus, ut ferias.
Si angustiae venient, tempus petimus paenitendi;
si misericordia subveniat, abutimur patientia, quae pepercit.
Adhuc plaga illata vix praeterit
et iam non recolet mens ingrata, quod pertulit.
Si citius exaudias, ex misericordia insolescimus;
si tardius, ex impatientia murmuramus.

Anonymous, *Corpus orationum*, 5473 (CCSL 160G, E. Moeller,
J.-M. Clement & B. Coppieters 't Wallant eds., p.252, ll.1-17).